



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

9. Homo pulvis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

xir, non eos optimè vixisse, qui diutissimè, sed qui modestissimè vixerint. Planissimè &c est: non refert, Vbi, & quando aut quomodo definamus. Cum Deus volet, definendum est; modò nos clausulam apponamus bonam.

§. 5. Omnis homo, nullus homo: ex Arbitro.

Hec, *Deu nos miseros, quam totus homuncio nil est.*

Verè sic est. Sed heu miseres multò, quò minus agnoscimus esse miseros! Nil est totus homuncio (ut rectè priscus Satyrus) sed ausim dicere, ut ali- quid esse incipit, cum se nil esse cognoscit. O homo nosce te ipsum; nosce, & sàpe, mors namque lilia sen- tibus æquat.

O miseri & vani, quid nos, doctrina, fama, sumus? Ipsi palvis, illa opinio, ista ventus. Et nos quoque qui vi- vimus, qui vigemus & floremus, dicemus brevè: Vi-

ximus. Hic omnes exitus unus habet. Vita nostra cre- scendo decrescit; & hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ. Quemadmodum clepsidram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid antè defluxit: sic ultima hora, quæ esse definimus, non sola mortem faci- cit, sed sola consummat.

§. 6. Mortalissimus diecula.

Flos est Hemerocallis, cuius vita & pulchritudo dia- ria est. Sed & volucris ad Hypanim fluvium est, He- merobios dicta, quæ non ultra diem vivit, sed eadem omnino luce, quæ lucem inchoat, finit; morieturque soli commoetur: eodem die pueri, juvenis, senis etatem experta. Manè nascitur, meridie viget, vesperti conse- nescit, & moritur. Sed & hoc magis mirum in hoc ala- to quadrupede, quòd non minus unica diecula alimen- ta provideat, quam si corvi aut cornicis annos esset vi- surum. Animalculo huic simillima est humana vita. Ad fluvium illa est perpetuò fluentis temporis; sed & volucris est magis, quam avis ulla vel sagitta: & sàpe o- mnis sue pompæ diem unicum, terminum habet, sàpe horam, sàpe paulò productus momentum. Qui ergo annos meditare & sæcula, sàpe brevioris ævi quam flores, aut florum umbræ, aut si quid umbræ va- nius, brevius?

Grandè profectò mirum est, hanc vitæ volucerrimā brevitem à tot divinis varibus proclamari, ab omni- bus omnium sæculorum scriptoribus confirmari; ni- hilominus missellos homunciores adeò ad omnium vo- ces obfufesceere. Clamat Ezechias per Isaiam: De ma- ne usque ad vespem finies me. Clamat regius Pfaltes: Dies mei sicut umbra declinaverunt. Clamat Hulfæus Princeps: Homo quasi flos egreditur, & coneritur, & fugit velut um- bra. En homo bulla, vita tua omnis, umbræ fuga est, & tu mansionem cogitas, ac quietam habitationem? Quid avare congeris? quid corradis, velut annos Nestoris vi- cturus? Mors tibi à tergo hæret. Abibis hinc, priusquam abiturum te metuas, ni metuas maturè. Accelera, in- stat Æternitas.

§. 7. Idem confirmatius traditur.

Nillius vita non brevis est, illorum brevissima, qui præterito, omni obliviscuntur, præsentia negligunt, de futuris non metuunt. Optimè Iobus, Et qui cum, in- quit, viderant, dicent: Vbi est? Velut somnium avolans non in- venietur (somnia te inanissimum, volare celerrimum) transies sicut visio nocturna. Idem de seipso, Dies mei, ait, ve- x. 15. & 26. lociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bonum (hoc dixit hominum opulentissimus.) Pertransierunt quasi na- ves poma portantes, sicut aquila volans ad escam. Hæsterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram. Verè, dies nostri sicut umbra super ter- ram, & nulla est mora. Nos epulamur & choreas duci- mus & nulla est mora: nos quieti liberalissimè indulge-

mus, & ad ipsam usque meridiem stertimus, & nulla est mora; nos temporis prodigi fabulamur, & aliud ex alio delictum, otium comminiscimur, & tamen nulla est mo- ra: labuntur, fugiunt, avolant anni. Nemo tam Divos habuit faventes umquam, ut sibi crastinum posset polli- ceri. Ita dum somniamus, ad æternitatem tranſimus, vel illam cælitum, vel inferorum alteram. Præclare di- xit Suidas: O mortales unius diecula, quotidianorum gnari, futura non prospicientes, perpendite, ad quam tenditis, Æter- nitatem.

§. 8. Longævitæ spes, & vota inania.

Quid faciam, dicebat apud animum suum opulen- tus ille, quia non habeo quò congregem fructus meos? Hoc faciam, destruiam horrea mea, & majora faciam. Mi- ser, heu! bis miser. Tunc horreum ampliabis: sepul- chrum habitabis crastinà, & olis non tartarum. Hæc no- cte anima tua reperitur à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Virtus, si quam amasti; vitia, quæ parasti, tecum ibunt: nec alios hinc habebis comites. Huic divitis fato simil- limum illud Senecionis apud Senecam, qui vitam hanc voluerem, quam per momenta singula precariam duci- mus, sàpius reputans, Omnis dies, inquit, omnis hora, quàm nihil finis, ostendit, & aliquo argumento recenti ad- monet fragilitatis oblitus, cum æterna meditantibus respicere cogit ad mortem. Senecio Cornelius, eques Romanus, homo summæ frugalitatis, non minus patrimonii quàm corporis diligens, cum per totum diem amico gravi- ter affecto, & sine spe jacenti, usque in noctem asse- disset, cum hilaris cenasset, genere valetudinis præci- piti abreptus, angina, vix compressum arctatis facie- bus spiritum traxit in lucem. Intra paucissimas ergo ho- ras, postquam omnibus erat sani ac valëtis officis fun- ctus, decessit. Ille, qui & mari & terrâ pecuniam agita- bat, qui ad publica quoque, nullum relinquens inex- pertum genus quaestus, accesserat, in ipso actu bene- cedentium rerum, in ipso procurentis pecuniæ im- petu raptus est.

Ita fit, dum maximè agunt homines, agunt animam: uti venti, qui cum vehementissimè flant, efflant vim suam, tunc plerumque celerrimè posituri, cum pluri- mum sevierunt. Admirandus Iob à Deo quatit, & efflant. panem conqueritur: Et sic repente præcipitas me? Pulchrè Tertullianus, & verè, Vis est, inquit, & illa navigis, cum longè à Capharæi saxis, nullis depugnata turbibibus, nullis quassata decumanis fluctibus; adulante flatu, labentè cursu, letante conſpiratu, insensito repente percussu cum totâ securi- tate desidunt. Non secus sunt naufragia vitæ, & tranquilla mortis eventus.

Quàm ergo stultum est etatem disponere? Ne cra- stino quidem dominamur, O quanta dementia est spes longas inchoantium! Emam, ædificabo, vendam, exi- gam, honores geram, tum demum lassam senectutem in otium referam. Omnia, mihi credere, etiam felici- bus dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere: id quoque quod tenetur, per manus exit; & ipsam, quam premimus horam, casus incidere po- test & abrumpere. Nos verò navigationes longas, & feros in partiam reditus proponimus: militiam, curiam, leuitas actiones, proluxa negotia, longam laborum se- rriem, officiorumque per officia processus destinamus; ævum Nestoris & fortunam Metelli speramus, cum interim ad latus mors est, & è vitæ colliculo in mare nos præcipitat Æternitatis.

§. 9. Homo pulvis.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertè- ris. Triste hoc carmen, nostra nobis mater oc- cinat Ecclesia, cum filiorum capitibus cineres insper- git, monètque mortalitatis, & eo quidem tempore, quò illa plerumque minimè cogitatur. Aquilam hic ini- tatur Ecclesia: illa cervum prælio aggressura, multum pulverem

Homo in- cipit esse aliquid, cū se nil esse cognoscit.

Vita nostra crescendo decrescit. Seneca epist. 24. post me- dium.

Plin. l. 11. c. 36. Hoc cu- tum genus etiam in A- rari nasci- tur, eodemq; die mortui aquistima- tæ piscibus avidissimè confectanti- bus. Lugdu- gneses pi- scatores vo- cant dela- manne.

Vitæ brevi- tas à divi- nis varibus proclamata. Isa. c. 38. v. 12. Psal. 101. 12. Iob c. 14. v. 2. Vita est umbræ fu- ga.

Quorum vita bre- vissima. Iob c. 20. v. 7. & 8. Idem c. 9. v. 25. & 26. c. 8. v. 9.

Nemo tam Divos ha- buit faven- tes, ut sibi crastinum pollicetur. Verbo Ephe- meri bo- tri, mihi P. 358.

Luc. cap. 12. v. 18.

Virtus, vel vitia post mortem comites.

Seneca epist. 101. init.

Senecionis Cornelii mors.

Venti cum vehementissimè flant, vim suam efflant. Iob cap. 10. v. 8. Lib. de Ani- ma.

Nihil sibi de futuro promittendum.

Gen. c. 3. v. 19.

Plin. lib. 10. c. 4.

Aeternitatis Prodromi Caput I.

35

Ecclesia
imitatur
Aquilam.

pulverem alarum volatu collectum, excutit in oculos
cervi, cornibus media insidens, & pennis ora verbe-
rans, donec præcipiet in rupes. Sic Ecclesia hominem
in vetra ruentem, mediâ quasi viâ adoritur, sternitque
ferali cor pulvere. Idem sacerdos facit, cum ad exe-
quiarum epilogum, cadaveri jam intra suum condito-
rium reposito, ter glebam injiciens. *Memento*, inquit,
homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris. Hæc non
jacenti jam & mortuo, sed vivis, & etiamnum cir-
cumstantibus, opportunè & suo loco occinit.

Grues in
excubias
lapillum
pede susti-
nent.

Sapuit in hoc & Philippus Macedo, qui quotidiano
illo carmine monitus, *Philippe homo es*, moderatiorem
se gessit.

Poma Go-
morihæa
cum fran-
guntur in
pulverem
fauçant.

Sed & grues hoc nos doceant. Hæc cum nocturnis
temporibus excubias habent, lapillum pede sustinent,
qui lassatis somno decedens, indiligentiam sono coar-
guat. Eadem, cum Pontum transvolant, arenam fer-
runt gutture. Mortales vanitatis arguat sepulchrale sa-
xum, & arena quâ conteguntur. Vitulus ab Hebræis
adoratus, aureus quidem fuit, sed in pulverem reda-
ctus: Statua Nabuchodonosori visa, terribilis fuit, sed
ictu lapilli contrita: Poma Gomorihæa pulchra quid-
em sunt, sed cum franguntur, in vanum pulverem fa-
tiscent: formam & opes ostentat fastuosus homo, de-
dum hæc omnia in cineres rediguntur. Hoc huma-
næ pompæ principium, hic finis. Ergo age quod agen-
dum est, instat Aeternitas.

§. 10. Homo verè miser.

Plin. proe-
mio in lib. 7.
Hist. nat.
Natura
meliorne
homini
mater, an
tristior no-
verca fue-
rit?

Non est satis æstimare, Natura meliorne homini
mater, an tristior noverca fuerit. Ante omnia
unum animantium cunctorum, alienis velat opibus:
ceteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria,
spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas,
vellera. Truncos etiam arborisquæ cortice, interdum
geminio, à frigorebus & calore tutata est. Hominem
tantum nudum, & in nudâ humo, natali die abijcit
ad vagitus statim & ploratum, nullumque tor anima-
lium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio.
Ab hoc lucis rudimento, vincula excipiunt, & omnium
membrorum nexus: itaque natus, manibus pedibûs-
que devinctus jacet, fletus animal ceteris imperaturum;
& à suppliciis vitam auspiciatur, unam tantum ob cul-
pam, quia natum est. Heu dementiam ab his initiis
existimantium ad superbiam se genitos! Prima robotis
spes, primûmque temporis munus quadrupedi simi-
lem facit. Quando homini incessus? quando vox? quan-
do firmum cibus os? quamdiu palpitans vertex, sum-
ma inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Iam
morbi tot, atque medicinæ tot contra mala excogita-
ta, & hæc quoque subinde novitatibus victæ. Videmus
animalium cetera, mox naturam suam sentire, alia na-
re, alia ire, alia volare, alia serpere: hominem sine do-
ctrinâ nihil scire, non fari, non ingredi, non vefci, bre-
viterque non aliud naturæ sponte, quam flere. Vni ani-
mantium luctus est datus, uni luxuria, uni ambitio, uni
avaritia, uni superstîtio, uni immensa vivendi cupiditas.
Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major,
nulli pavor confusior, nulli rabies acrior. Denique ce-
tera animantia in suo genere probè degunt: congrega-
ri cernimus, & stare contra dissimilia. Leonum feritas
inter se non dimicat: serpentum morsus non petit ser-
pentes: ne maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diver-
sa genera, sæviunt. Homini plurima ex homine sunt
mala.

§. 11. Quid igitur est homo?

Arist.
Trifon.
Plauto.
Sophoc.
Pindaro.

Si pîscas gentes audiamus, Homo est Fortunæ lu-
lus, Inconstantiæ imago, Corruptionis speculum,
Temporis spoliû, Mortis mancipiû, versatile Se-
pulchrum, fragile Simulachrum, tenuis Umbra, Umbra

A somnium, Spirans cadaver, Vivamors, Pila quâ ludit
Deus.

Si Senecam interroges, *Quid est homo?* respondebit.
Imbecillum corpus & fragile, nudum, suapte naturâ
inermè, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ con-
tumeliam projectum, cuiuslibet pabulum, cuiuslibet
victima, &c.

Si sacros scriptores interrogemus, Homo est esca
vermium, fæcus stercoreum, calamitatis ludibriû, au-
imbecillitatis exemplum; est nuntius præcurrens, na-
vis pertransiens, avis transvolans, fumus evanescens,
gracilis spuma, invidiæ trutina, stilla situla, momen-
tum statera, gutta roris antelucani, hospes unius diei;
est flos, fœnum, universa vanitas, pulvis & cinis, inane
& nihilum.

Interim nos miselli nomenclaturas ingentes teximus
speciosissimorum titulorum: grandia nomina operose
ambimus, & sine omni aurium vulnere audimus Ma-
gnifici, Perillustres, Felices, Pii, Potentissimi, Augu-
stissimi, Invictissimi, Optimi, Maximi. † Quid restat,
nisi ut Saporem Persarum Regem imitemur, qui epi-
stolam, quam ad Constantinum Imperatorem dedit, sic
exorsus est: *Rex Regum Sapor, particeps siderum, frater So-*
lis & Luna, Constantino fratri meo salutem plurimâ. * Aut
si malumus, nomina trahamus ab rege Bithynensi, qui
salutabatur, Sponsus bonæ Sortis, Magnarum provin-
ciarum Deus, Regum potentissimorum Rex, omnium
equitatum Dominus, Magister & doctor loqui ne-
scientium, triumphator Imperatorum Imperator, omnium,
quæ videt, Conquistator, conquistatorum Conservator;
quem octo mundi partes metunt, Eques cui cæmo par,
& fortissimorum quorumque Debellator, elephantor-
um Venator, Dominus Orientis, Austri, Septentrio-
nis, Occidentis & maris. Hæc Perrus Jarricus percerfer.
Nunquid titulorum satis? Si lubet, addamus elogio-
rum seriem, quam Souldanus in litteris præmisit hunc
in modum: Salmander omnipotens ante Carthaginē,
Dominus Jordanis, Dominus Orientis, Dominus Beth-
lehem, Dominus paradisi, Præfectus inferni, maximus
Imperator Constantinopolæos, Dominus aridæ ficus,
Dominus quæ Sol & Luna meant, Protector primi sa-
cerdotis Joannis, Imperator, Rex Regum, Dominus
Christianorum, Judæorum, Turcarum, Amicus Deo-
rum. Non multo aliter Solymannus nostro Cæsari scrip-
psit his verbis: *Carolo Quinto Imperatori semper Augusto,*
Belgæ, coævus Soliman, ex victoriæ nobilissimâ, Ottoman-
orum prosperâ ortus, Imperator Turcarum, Rex Regum, &
Dominus dominantium, Imperator Trapezuntinorum ac
Constantinopolitanorum, Dominator mundi, & terre domi-
tor, &c. Quid vultis amplius? O verè splendida misce-
ria! ô Cinis & nihilum! ô vanitas vanitatum! Turpissi-
ma est ignorantia, cum homo se hominem esse obli-
viscitur.

§. 12. Ad rei funebres ofores.

Abite igitur non hominēs, sed milvi, qui etsi ra-
paciissimi, semperque famelici, nihil tamen escu-
lenti rapiunt umquam ex funerum ferculis: vos, etsi ce-
tera curiosissimi, nihil tamen, quod funus oleat aut
pollincturam, facile umquam tangitis. Gravior vobis
est quævis cæna sub quacumque arbo, quam vel lau-
tissima sub taxo aut cupresso. Omnem Libitinæ appa-
ratum pessimè odistis, nec quidquam malletis quam
omnem mortis memoriam abolere. At videte quam
hic largiter deliretis, cum sacra pagina clarissimè mo-
neat: *melius esse ire ad domum luctus, quam convivii.* Vo-
bis verò alia omnia potius agere lubet quam sanctè lu-
gere, & mortis meminisse. At cavete, ne, dum brevem
luctum cauetis, non caveatis æternum.

§. 13. Omnis

Consol. ad
Marciam
c. 11.

Isai. David,
Bern. alios.
Arist. ad-
scribitur hæc:
Homo quid
est? Imbe-
cillitatis
exemplum,
fortunæ lu-
dibriû, &c.

In hac verba
Georg. Pass.
Mucus coi-
nicem, egre-
giam edidit
cantionem.
in suo Orpheo
mixto.
Marcellin.
lib. 17.
Aur. Jarric. to.
1. Theauri
rer. indicat.
mibi pag.
653.

Elogiorū
series in
litteris à
Souldano
præmissa.

O blivio
sui, igno-
rantia tur-
pissima est.